RUPERTUS TUITIENSIS. LANFRANCUS CANTUARIENSIS. HIERONYMUS. ETC.
12. Jh. Seite 29v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26274
Copyright: Admont, Benediktinerstift



tua baptizatus sis. Cum ut secundum assertionem tuam cunc
tos ille credentes in se tunc suo sanguine et aqua la
uarit. que racio est ut iterum laueris. Credas tantum
et non baptizeris. Xpianus. Prius quam nascerer non potui
renasci. prius quam essem non potui lauari. Sed nec effica
citer quisquam potest lauari. nisi prius crediderit. Illos qui
iam dudum erant vel fuerant credentes in eum tunc sicut
iam dictum est sine dubio lauit. et ex illis ualde multis
hominibus. et soli deo numerabilibus una consistens ecclesia
tunc renata est de latere xpi dormientis dormitione
mortis. secundum similitudinem mulieris que formata est de
latere uiri dormientis dormitione somnii. mihi autem
uolenti incorporari eidem ecclesie positum est ad fores eius
sacramentum eiusdem regnationis positione dicentis. eun
tes docete omnes gentes. baptizantes eos in nomine
patris et filii et spiritus sancti. Ludeus. Pro uelle tuo loqueris.
secundum intentionem tuam. scripturarum uoces ducis ac
reducis et trahis quoquis. Michi autem racio suppeditat
ut persistam immobilis firmiter tenens quod ihesus ille qui cru
cifixerunt patres mei non sit messyas idem xpus. quem expec
tauerunt patres mei. Nam si ille est ubi sunt bona ierusalem. et
prospera syon. ubi exultatio iacob et leticia israel tan
tis promissa prophetarum uocibus quod habundare deberet
in aduentu eius. Immo postquam uenit ihesus iste non
solum non factum est illud quod exempli gratia nunc memora
bo de propheta zacharia dicente. et sedebit ierusalem
secura. et hec erit plaga qua percutiet dominus omnes
gentes que pugnauerunt aduersus ierusalem. et congrega